



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

2da pro Societate.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

Dei donum præcipuum est decus Deiparæ, ita
ejus cultus est ipsi gratissimus, nec ab homine
Societatis is sanè negligendus est; cùm per eum
impetretur donum castitatis. Officio subjungi
possunt *Orationes sequentes tres.*

Prima.

A Bæterno in æternum immaculata in mente
Dei, sine macula concepta, nata, concipi-
ens, pariens, moriens Dei Mater augustissima
Maria. Fiat cor meum immaculatum, ut plus
amet, honoret te, apud omnes extollat te plus,
quam ulla unquam creatura possit offendere te.
Tu inchoasti, impetra, ut ego finiam vitam sine
macula. Per immaculatam Conceptionem,
Nativitatem, Mortem, ac æternitatem tuam fe-
licissimam te obsecro. Exora cordi meo illam,
quæ ad benè agnoscendum ac videndum Deum
requiritur, munditiam. Habeam cor, quod
cordis tui sancti amores omnes offerat pro se Fi-
lio tuo Jesu Christo. Omnes terreni amores
habent maculas suas, & ipsi sunt macula. Do-
ceat me cor tuum amores immaculatos æternos.
Non sum dignus amare, laudare te, sed tu dig-
nare sincera clientis ac filii tui suspiria acceptare.
Amen.

2da pro Societate.

A Mabilissima Virgo Maria congregationum
omnium sanctarum, ac præcipuè religio-
sarum, quæ sub tua protectione militant, &
favore tuo disciplinam ordinis servant, verè
Mater & Patrona. Memor esto hujus minimæ
Societatis dilectissimi Filii tui D. N. J. C. quam
posse-

possedisti ab initio, & sub pallio tuo contra omnes adversantium impetus custodis, quamque ob propagatum immaculatæ Conceptionis tuæ cultum prærogativâ castitatis à filio tuo impetratâ decorâsti. Promove & serva illam semper in nomine tuo, nosque clientes ac filios tuos misericorditer respice. Paupertate, castitate, caritate, sinceritate, humilitate, fortitudine in agendo ac patiendo pro Dei gloria, zelo animarum, orationis spiritu, & tenerâ ac constanti erga Immaculatæ Conceptionis tuæ Mysterium devotione conspicuos effice, atque ab omni malo præsertim relaxationis instituti defende. Amen.

3tia vicijus te indies B. V. dedicas.

Sancta Maria Mater Dei & Virgo, ego N. peccator vilissimus, & undequaque purissimo conspectu tuo indignissimus, impulsus desiderio tibi serviendi, ac fretus pietate tuâ singulari, coram benedicto filio tuo & curiâ cælesti universâ dedico me tibi hodie in servum & mancipium tuum, eligoque te in singularem meam Dominam, Matrem & Advocatam; & firmiter propono, me nunquam te derelicturum, sed semper honorem tuum, & maximè Mysterium Immaculatæ Conceptionis tuæ in primo Conceptionis momento defensurum. Te itaque Virgo sacrosancta per sanguinem unigeniti Filii tui JESU Christi oro, ut me in servum perpetuum admittere digneris, ad sisque mihi in omnibus necessitatibus meis, nec me deseras in hora mortis meæ, Amen.

Post